

libro mortuorum ibidem plenius annotatum. De superfluis censuum et reddituum bonorum omnium praedictorum ratio nostro capitulo fieri debet per procuratores seu collectores eorundem suprascriptos, ut est moris. In quorum omnium testimonium ac praesentis ordinationis certitudinem pleniorum sigillum nostri capituli praesentibus duximus appendendum. Datum et actum Misnae anno domini M^o.CCC^o.LXXX^o nono XXIX^a. die mensis Januarii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grösseren Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.

No. 708. 1389. 15. Febr.

Das Capitel verspricht die vom Domherrn Ramfold von Polentz durch Schenkung von Geldzinsen gestiftete Feier des Tages der hh. Fabian und Sebastian sowie des Jahrgedächtnisses seiner Eltern und Ramfolds selbst genau zu beobachten.

In nom. dom. amen. Dignum arbitramur etc. Hinc est quod nos Nicolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis notum facimus — quod honorabilis vir dominus Ramfoldus de Polenczk Misnensis et Budissinensis ecclesiarum canonicus divina inspiratione inductus, desiderans festum sanctorum martyrum Fabiani et Sebastiani sollempniter¹⁾ in ecclesia Misnensi peragi et commemorationem parentum suorum etiam inibi die penultima mensis Januarii cum vigiliis magnis ac missa pro defunctis, prout consuetum est fieri, cum quatuor candelis incensis ac panno sericio in medio earum posito, ad quae peragenda et adimplenda idem dominus Ramfoldus tres sexagenas grossorum Fribergensium annui census a strenuo milite piae memoriae domino Nycolao de Malticz ac filiis suis in Borsenicz^{a)} residentibus propriis suis pecuniis in suae salutis augmentum iuste ac rite comparavit, iacentes in villa et pago villae, quae apud sanctum Gothardum vulgariter dicitur in districtu episcopatus Misnensis, easdemque tres sexagenas Fribergenses per reverendum in Christo patrem ac dominum nostrum Nicolaum episcopum Misnensem nobis ac nostro capitulo incorporari et appropriari procuravit^{b)}, praefatusque dominus Ramfoldus praedictas tres sexagenas annui census liberaliter et pie nobis et nostro capitulo pro sollempnisatione festi sanctorum praedictorum ac commemoratione parentum suorum seu post eius obitum pro observatione anniversarii sui, quod etiam die penultima mensis Januarii vult et debet peragi — perfecta donatione inter vivos nobis et nostro capitulo obtulit — supplicans, — quatenus ipsius donationem — grato suscipere curaremus affectu ipsorumque sanctorum festum ac commemorationem parentum suorum, seu post eius obitum suum anniversarium infra scripta in nostra ecclesia Mysnensi perpetuis temporibus observanda per modum perpetui statuti decernere ac statuere dignaremur. Secundum dispositionem et ordinationem ipsius Ramfoldi infra scriptas disposuit et ordinavit, quod procurator nostri capituli — in ipsorum sanctorum Fabiani et Sebastiani die in nostra ecclesia perpetuis temporibus sollempniter celebranda unam sexagenam grossorum Fribergensium cum dimidia ministrare tenebitur, videlicet dominis canonicis inte-

1) in nostra ecclesia Budissinensi Zusatz von späterer Hand am Rande.

a) Porschnitz, Par. Krügis. b) Vgl. No. 699.